



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Reg. XLVII. non valeat Impetratio facta per modum in Cancellaria
exprimendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

solent, cum sit absens ex justa causa *c. relatum de cler. non resident. Nicol. Garcia de Benef. p. 11. c. 9. num. 28.* licet interim debeat per alium defervire beneficio si servitium illud requirit *Garcia d. c. num. 29.* ubi subjicit quod si est curatum debet obtinere licentiam ab Ordinario in scriptis juxta Concilium Trid. *sess. 23. c. 1. de reformat.* & si nollet dare, recurrendum esset ad Superiorem ut ibid. addit. Adverte insuper quod talis religionem ingressus non lucrabitur fructus si sint beneficia non habentia fructus in absentia, ut sunt nonnulli canonicatus & prebendæ quorum fructus residendo lucrifunt, inquit *Garcia d. c. 9. num. 31.* Adverte secundo quod talis Novitius debet renunciare intra duos menses proximos ante professionem cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii, & aliter facta renunciatio erit irrita, & nullius effectus ex decreto Concilij Trid. *d. c. 1. de sess. 25. c. 16. de reg.* quod decretum etiam habere locum, quando quis renunciat ante ingressum, seu intuitu ingressus religionis resolvit S. Congregatio: nam videtur facta in fraudem, & hoc quando ordinatus ad titulum illius beneficii non habet aliunde ex quo vivere potest: nam his casibus non debet admitti resignatio, nisi habeatur certitudo de professione, & eo modo quo dictum est, & de stylo exprimitur in supplicatione *Flam. Paris. de resig. ben. lib. 3. c. 13.* Item habet locum in quacumque renunciatione beneficiorum, ut sæpius censuit S. Congregatio Concilij teste eod. *Flam. Paris. dicta qu. 13. num. 5.*

Et his igitur colligitur faciendam esse resignationem de consensu superiorum ante duos menses professionis, idque non caret ratione, ne temerè quis renunciet dum est Novitius, & postea contingat carere beneficio, & Monachatu, si foret non admittatur ad professionem, vel ipse postea nolit professionem emittere juxta ea quæ scribit *Abb. in c. ex transmissa num. 5. de renunciat.* ex quo etiam sequitur Episcopum non debere admittere resignationem ejusmodi beneficii, illud conferre nisi facta professione, ut præter placitum S. Congregationis, notat quoque *Zechius de ben. c. ult. num. 2. §. mente etiam captus.* atque ita intelligenda verba Constitutionis *§ 8. Pij V. ibi Religionem ingressuri, scilicet per professionem.* notat *Nicol. Garcia d. c. 9. num. 23.* & non per habitus susceptionem, ut voluit *Fuscus & Flam. Parisius lib. 5. qu. ult. de resig. ben.*

*Agumenta in Reg. XLV. INNOCENTI VIII.
quæ est XLVI. PAULI V.*

1. Impetratio beneficii in genere nec
specificato modo vacandi, est nul-
la. 2. Valeret impetratio secundi, specifica
modo vacandi, non etiam prima.
3. Hæc Reg. est de dandis ex quo habet
lii 2 Decretum

- | | |
|--|--|
| decretum irritans, vel annullans. | dum omnia crimina narrata. |
| 4. Secundus Principis iustus habetur pro certa scientia, & num. 7. | 8. Impetrans beneficiū ob crimen privatione dignum, quam clausulam habeat inferere ne criminofus interim possit resignare. |
| 5. Quod unico contextu dicitur, habetur pro uno actu, licet pluries repetatur. | 9. Secunda iustio habetur pro certa scientia quando secundum rescriptum mentionem facit de primo. |
| 6. Impetrans tenetur facere mentionem de vacatione & de modo vacandi. | |
| 7. Impetrās an sit arctandus ad proban- | |

*Regula XLV. Innocentij VIII.
qua est XLVI. Pauli V.*

NON VALEAT IMPETRATIO FACTA PER
MODUM IN CANCELLARIA EXPRIMENDUM.

Item voluit quod si petatur aliquod beneficium vacans per modum in Cancellaria Apostolica exprimendum, talis impetratio non valet, nec litteræ desuper expediantur.

GLOSSEMA ALPHONSI.

¶ *Ista Regula dicit quod si impetretur aliquod beneficium vacans per modum in Cancellaria Apostolica exprimendum, quod talis impetratio non valet, nec litteræ desuper expediantur: hoc dicit & est clara: & ratio dubitandi potuit esse, quia ex quo beneficium, & eius collatio pertinebat ad Papam, satis eras dicere in genere Tale beneficium vacat Sup. S. V. quod dignetur mihi illud conferre & si Papa dicat fiat ut petatur, videtur valere talis impetratio, ex quo petitio, & signatura sint generales. ideo comprehendit quamlibet speciem sub se comprehensam arg. c. solitæ de maio. & obed. cum infinitis. Et ratio decidendi est in contrarium, & si impetretur in genere nec nominatur persona, nec modus vacandi, tamen si Papa sciret ita de facili non concederet, ideo impetratio est nulla, facit dictum c. postulasti de rescript. & quod dixi supra regula proxima. ideo si secundus impetraret, & exprimeret verum modum vacandi, illa impetratio valeret, & non prima, per istam regulam. nunc d. e. postulasti, & quia ista Regula annullat impetrationem credo quod etiam Camera non daret, etiamsi verus modus vacandi exprimeretur. Tamen credo quod ista sit danda, ex quo habet decretum irritans, vel annullans ut dixi, & crederem quod si in clausulis supplicationis etiam hoc peteret*

petetur & in corpore etiam, quod tunc non haberet locum ista Regula, ex quo Papa bis mandat, & secundus iussus habetur pro certa scientia vel pro motu proprio, ut in l. nec damnosa C. de precibus impera. offe. & ibi dicit Bald. & facit gl. in verbo aliis, quam not. ibi Ang. in authen. de non alien. aut permu. §. quia verò simile col. ii. nisi dicas quod id quod nititur unico contextu habetur pro uno actu, licet pluries repetatur, facit glo. in l. si convenerit la. i. ff. de pign. act. & gl. in c. ab eo de appel. lib. vi. & quod dicit Bald. in præmio C. & glo. in c. suam de appel. idem dubito quod Cancellaria etiam hoc reciperet, sed de Camera non dubito, si est pecunia, alio permittas bene taxari talem bullam ut transeat per Camera.

COMMENTARIA IO. A CHOKIER.

Impetratio est nulli. Olim ante hanc Regulam non erat necesse exprimere modum vacationis ut not. Geminian. in c. susceptum num. 10. de Rescript. in 6. La-
 pus alleg. 6. facta enim simpliciter mentione vacationis, includebatur omnis
 modus vacationis glo. in Clem. i. verbo Quamvis de Prab. & glo. in c. si propter de Re-
 script. in 6. siue per mortem beneficiarii, vel per translationem, vel denique
 per amotionem, aut privationem, ista enim est summa vacantium beneficiorū
 divisio c. nisi iam pridem c. post translationem c. ult. de Renunciat. c. susceptum ibid.
 DD. de Rescript. in 6. Nunc verò per hanc regulam Impetrans tenetur facere
 mentionem de vacatione, & de modo vacandi, alias impetratio & provisio est
 nulla, ut hic dicitur & notat obiter Mohed. decis. 33. de prab. & Felij in c. in no-
 fra de Rescript. quia alias multæ committebantur fraudes, & cauti pragmatici
 nunquam exprimebant modum, teste Rebuffo in addit. ad hanc reg. Licet in sig-
 natura possit dici quod major & uberior expressio fieri possit, & etiam solet
 papa uno modo vacandi expresso dicere, & alio quovis modo, ut notum est,
 & tradunt DD. in c. susceptum de Rescript. in 6. Sed hæc Reg. statuit, ut saltem u-
 nus modus vacandi exprimat si plures sint. Quod si plura delicta in suppli-
 catione expresserit petatque committi quibusdam probis viris, ut si eis de præ-
 missis vel altero præmissorum constiterit dictum N. privet, tunc papa consue-
 vit. delere illa verba Vel altero præmissorum: quia postquam Impetrans diffamat
 aliquem de pluribus criminibus deberet arctari ad probandum omnia quibus
 illum diffamat, alias pœna talionis tenetur vel ad diffamationis pœnam, text.
 in c. super his ubi DD. de accus. c. licet Heli de Simonia Staphil. de litt. gratia fol. 176.
 vers. Norandum est. Rebuff. d. loco. ubi quoq; notat quod si quis impetret benefi-
 cium per privationem debet ne interim resignet inferere istam clausulam. Et
 cum decreto quod resignatio cedat in favorem impetrantis; quod solet concedi post pri-
 vationem privationis sententiam, & rarissime ante. ut not. Staphil. d. loco & ego alibi.

B Pro certa scientia) Adde And. Gail. lib. 1. obser. Camera obser. 35. num. 6. quod tamen limita singulariter ut procedat, quando secunda iussio, vel secundum rescriptum facit expressam mentionem de primo: alias ista geminata non haberet effectum, per not. Bald. in l. 2. C. de petit. bon. sublati lib. 2. Jura l. nec damnosa C. de pracib. imp. obser.

*Argumenta in Reg. XLVI. INNOCENTII VIII.
qua est XLVII. PAULI V.*

- | | |
|---|--|
| 1. Iudex delegatus principis potest subdelegare. | 8. per clausulam: Tuam conscientiam onerantes, censetur electa in dicitur persona. |
| 2. Industria Judicis videtur electa, ubi à Papa datur per signaturam. | 9. Multo magis cum Papa sic rescribit, per teipsum cognoscas, vel exequaris: nam tunc ne quidem parvum consensu poterit subdelegare. |
| 3. Viccancellarius Papæ an possit alium substituire. | 10. Delegatus vel subdelegatus ab Ordinario, subdelegare non potest. |
| 4. Hæc Regula non est de dandis. | 11. Exceptio in subdelegantem invidetur proponitur post litem contestatam. |
| 5. Delegatus summi principis sententiam suam exequi potest. | |
| 6. Delegatus potest subdelegare si sit delegatus summi principis, aliter non. | |
| 7. Ubi est electa industria personæ, delegatus etiã à summo principe sub- | |

*Regula XLVI. Innocentii VIII.
qua est XLVII. PAULI V.*

DE EXECVTIONE FACIENDA.

Item voluit, statuit & ordinavit, quod quotiescumque per signaturam suam vel de eius mandato factam super executendis aliquibus cum adjectione proprii nominis vel dignitatis cuiusvis Iudex datur, litteræ desuper expediantur cum expressione, quod idem Iudex executionem faciat per seipsum.

GLOSSE.